Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd Eruli qui dicuntur, Iustiniani temporibus Christi fide initiati sunt. Capvt XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

Visual Library

mam obſidentibus, Beliſſarius, quoniam Siluerium Pontificem ſuſpectum habebat de proditione, eum in Græciam relegauit, Vigiliumque conſtituit Pontificem.

Quòd Eruli qui dicuntur, Iuſtiniani temporibus Chriſti fide initiati ſunt.

CAPVT XIX.

EIſdem temporibus, vti idem ſcribit Procopius, Erulos, qui tempore, quo Anaſtaſius Romanum rexit imperium, Danubium traiecerunt, à Iuſtiniano benignè & humanitus tractatos, & magna pecuniæ vi ab eodem donatos, omnes ad vnum religionem Chriſtianam recepiſſe, agreſtemque vitæ conſuetudinem, ad manſuetiorem ciuilioremque commutaſſe.

Quòd rurſus Romam, ſub Gottis cum fuiſſet, Beliſſarius iterum in libertatem aſſeruit.

CAPVT XX.

NArrat porrò idem author, Beliſſarium redijſſe Conſtantinopolim, & Vittigem cum ſpolijs Roma ſecum deportatis eò deduxiſſe, Totilamque Romano potitum imperio, & vrbem rurſus in Gotthorum veniſſe poteſtatem: quinetiam Beliſſarium ſecundò in Italiam profectum, Romam recuperaſſe, eundemque, bello cum Medis ſuſcepto, ab imperatore Conſtantinopolim iterum accerſitum.

Quòd etiam Abaſgi iiſdem temporibus Chriſtianæ fidei myſterijs imbuti ſunt.

Caput XXI.

MEmorat præterea idem Scriptor Abaſgos ad mitius humaniuſq; vitæ genus traductos, eiſdē tēporibus fidem Chriſtianam recepiſſe: Iuſtinianumque Imperatorē, quendam ex Eunuchis aulicis, Abaſgū genere, nomine autem Euphratam ad eos miſiſſe, qui vetaret, ne cuiquam in ea gente, quaſi vi illata naturæ, teſticuli exſecarentur. Nam qui cubiculis Imperatorum inſeruiebant, quos vulgò vocant eunuchos, perſæpe ex ea gente ſumi conſueuerunt. Per idem tēpus Iuſtinianus, templo Deiparæ apud

Abaſ-